



Symbolae ad floram Brasiliae centralis cognoscendam

<https://hdl.handle.net/1874/34143>



(Afttryk af „Vidensk. Medd. fra den naturhist. Forening i Kjøbenhavn“. 1874. No. 3—7.)

057 8304

Symbolæ ad floram Brasiliæ centralis cognoscendam

edit.

Eug. Warming.

Particula XVIII.

(Societati tradita die 17de Decbr. 1873.)

Fam. *Symplocaceæ*, *Styracæ*, *Ebenaceæ*, *Rosaceæ*.

Auct. Dr. Eug. Warming.

Fam. *Symplocaceæ*.

Miquel in Mart. et Eichl. Flora Bras. vol. VII, p. 21.

Symplocos Jacq.

1. *S. pubescens* Klotsch, Miq. l. c. 26.

Ad Lagoa Santa arbuscula 10—25-pedalis et forte altior in silvis inprimis juxta margines frequentissima, cortice flavescente-cinereo rugoso-fisso; m. Octob. Nov. folia omnia dejecta novellis tamen eodem fere tempore sese evolventibus; flores albi, odorati, disco miniato, m. Nov.—Jan. evoluti; fructifera m. Jan. Febr. (fruct. immat.) et Aug.—Oct. visa. — «Cinzeira do mato» v. «Pão de cinza» incolis, nunc sec. cl. Lund etiam «Sabu-eiro» appellata. — Etiam inter Bom Fim et Rio Paraopeba et ad Piedade dos geraës a me observata: W.

Annot. *S. pubescens* Kl. et *S. Martii* DC. certe in unam speciem componendæ sunt. Variant specimina Lagoensia mea tomento et longitudine pedunculorum. Ramuli, petioli, pedunculi bracteæ et costæ subtus sæpius dense ferrugineo- v. canescente-rafo-tomentosa; folia novella supra nunc dense pilosa, nunc

glaberrima, adulta tamen aut parcissime pilosula aut sæpius glabra lucida, subtus valde lutescentia, inter costas pubescentia mollia, adulta tamen glabriora; ultra annum haud perdurant; lamina late lanceolata v. elongato-elliptica, v. oblongo-lanceolata v. obovato-subelliptica, margine nunc a basi fere nunc a medio tantum ad apicem serrulato-dentata. Racemi vulgo petiolis subbreviores v. æquilongi, interdum tamen paullo longiores; in fructiferis rachis et pedicelli interdum subacrescentes. Calyx vulgo glaber præter marginem longe ciliatum; var. pilosulus. Drupa carne tenui violaceo-indigotico amaro adstringente.

Etiam *S. Lundii* DC. huic valde affinis, et forte cum ea ut varietas (palustris?) jungenda; in paludibus ad Mugy a cl. Lund lecta est. Ibidem etiam legit specimen alium, quod inflorescentiis petiolos duplo fere superantibus et foliorum marginibus argute dentato-serratis *S. Lundii* simile est, indumento axium omnium et foliorum costarum tamen densiore fere ut in *S. pubescenti* tomentoso ferrugineo laminisque ceterum supra quoque pilosulis differt et quodammodo hanc ultimam cum illa conjungit.

2. *S. Bahiensis* A. DC. Prodr. VIII, 250, Miq. l. c. 24.

Serra do Cipo, Octobr. florens, a M. Libon lecta; folia magis ut in *S. nitenti* Benth. obovata, apice obtusa v. subrotundata et emarginata. — In campis ad Hytu, m. Febr. fructifera: Lund; folia supra nitidissima. — Specimina a me in Serra da Piedade lecta huc quoque pertinere videntur.

3. *S. lanceolata* A. DC. Prodr. VIII, 253; Miq. l. c. 29.

— In campestribus saxosis montis Serra da Piedade, frutex, «Congonha» denominata: W. E vicinia oppiduli Lagoa Santa sub nomine «Congonha de Caixetta» a rev. patre Domingos Musci mihi allata.

Fam. *Styraceæ*.

A. DC. in Prodr. VIII, 244. Seubert in Mart. et Eichl. Flora Bras., vol. VII, 183.

Styrax Tourn.

1. *St. glabratum* Spreng., Seub. l. c. 187.

Ad Lagoa Santa hinc illinc in silvis, haud frequens; arbuscula elegans, 10—30-pedalis et ultra, trunco pollices plures diam., v. frutex. Folia supra viridissima, subtus tamen glaucescente-viridia, utrinque nitida; lamina ad 20 cm. lg., 5—6 cm. lt., var. anguste lanceolata 16 cm. lg. cum latitudine 3 cm.; in axillis quæ formant costæ secundariæ cum costa principali burricula v. fovea oblecta peculiaris sæpius adest; petiolus 5—13 mm. lg.; racemi $1\frac{1}{2}$ —5 cm. lg., ad 10-flori; pedicelli 8—10 mm. lg.; bractæ 2—3 mm. lg.; corolla alba, maxima ad $1\frac{1}{2}$ cm. lg.; antheræ luteæ. — Floret m. Nov. Dec., fructifera m. Julio, Aug. lecta: W.

2. *St. leprosum* Hook. et Arn., Seub. l. c. 188. Frutex v. forte interdum arbuscula silvestris, hinc illinc ad Lagoa Santa lecta; m. Sept. cum foliis novellis et alabastris, m. Nov. Dec. florens visa: W. — Folia novella in specim. meis supra glaberrima. Corolla alba.

3. *St. camporum* Pohl, Seub. l. c. 190.

In fruticetis ad S. Carlos, Jan. fructif., et ad S. Paulo, Decbr. florens: Lund. — In prov. Minas geraës: Claussen (no. 23). — Ad Lagoa Santa in silvis arbor frequentissima, cortice glabro griseo; m. Aug. et Dec.—Febr. ramuli et frons novella evolvuntur; innovationes sæpe ramificatæ, haud semper distincte limitatæ; internodium infimum ramulorum sæpe pollices plures longum; folia ultra annum paullulum tantum perdurare videntur; floret Dec. Jan., corollis albis odoratissimis; m. Maio et Aug. fructifera lecta: W.

Lamina variat in eodem specimine lanceolata-oblonga 9 cm. longa et 3 cm. lt., et elliptica 12 cm. lg. et $5\frac{1}{2}$ cm. lt.; speci-

mina legi innovationibus valde elongatis tenuibus, foliis tenuioribus magisque opacis, lanceolatis, basi acutis, apice longe acuminatis, et ita *S. acuminato* Pohl simillima; laminæ hujus speciei ovato-lanceolatae, latitudine maxima infra medium sita; monographo futuro investigandum tamen erit, ane eidem speciei non pertineant *St. camporum*, *St. Candollei* et *St. acuminatum*. Inflor. vulgo 1½—3 cm. lg., var. 6—7 cm. lg. et tunc sæpius composita et folia frondosa parva gerens. Drupa c. 4 cm. lg. — Ad Lagoa Santa «Fruta de pomba» incolis, sec. cl. Lund etiam «Pindaiba» denominata, quod nomen vulgo Anonaceis variis attribuitur.

4. *St. acuminatum* Pohl, Seub. l. c. 190.

In montibus Tijuca m. Julio nondum florens sed alabastris onustum a cl. Lund lectum (no. 502); arbor 20-pedalis; alibi ad Rio de Janeiro: Glaziou (3784).

5. *St. nervosum* A. DC., Seub. l. c. 191.

Ad Lagoa Santa in campis valde frequens: W. Arbor est, rarius c. 15-pedalis, sæpius minor 7—8 pedes alta, trunco tortuoso, cortice in areolas parvas bene limitatas fisso, nunc frutex quoque obvisus 2—5-pedalis et fertilis; folia ultra annum vix persistunt; m. Aprili, Maio imprimis tamen Junio—Aug. campos odore suavissimo florum suorum implet; racemi plus minus penduli; m. Sept.—Dec. fructiferum lectum.

Aliis etiam in campis prov. Minas geraës a me observata, ex gr. inter Lagoa Santa et Barbacena ad Caxueirinha, Olhos d'agua, Contagem, Capella nova, Brumado, Serra etc.; in regione montium Serra dos vertentes ut frutex 2—5 pedalis attamen florens et fructifer frequentissime a me visus: W.

Var. *elongatum* Seub. l. c. Ad Serra de Gambá et Piedade dos geraës in parte orientali prov. Minas geraës initio m. Junii florens: W.

Ad Lagoa Santa: «Limoeiro do campo» (ob florum odorem), rarius «Pindaibuna» et «Pindaiba» denominata.

6. *St. ambiguum* Seub. l. c. 192.

Ad Lagoa Santa arbuscula vulgo 8—12-pedalis, in paludosis, ad ripas lacuum et rivulorum frequens; floret m. Sept.—Febr., corollis svaveolentibus; fructif. m. Dec.—Martio lectum: W., Lund. Inter Serra de Gamba et Piedade dos geraês m. Maio Juno florens: W.

«Fruta de pomba» incolis, quia fructus sec. cl. Lund a *Columba rufina* appetuntur; v. «Pindaiba vermelha» (ob tomentum ferrugineo-rufum).

Annot. Folia in specim. meis juniora quidem subtus mollissima, costis in pagina inferiore ceterum plus minus intense cano- v. cinnamomeo-rufis. Lamina var. late elliptica, 10 cm. lg., 6 cm. lt., et regularius elliptica v. oblongo-elliptica v. ovato-elliptica, vulgo 8—9 cm. lg., 3½—4½ cm. lt.; apice acuminata. Racemi sæpius in quaque axilla duo, inferior e petioli longitudine, superior duplo triplove longior sæpe in ramulum florentem evolutus.

7. *St. Pohlî* A. DC., Seub. l. c. 193. — Ad Mugy, prov. S. Paulo, in marginibus silvarum, «capões» dict., valde frequens; m. Nov. Decbr. floret: Lund (728). *St. Martii* Seub. proxima videtur. Specimina quæ in herb. Lundii sub no. 728 inveni a cl. De Candolle in Prodr. VIII, p. 267 ut *S. Pohlî* pertinentia determinata, mihi quidem potius varietas *S. Martii*, medium inter hanc et varietatem *gracilius* tenentia, videntur.

8. *St. Klotschii* Seub. l. c. 194.

Ad Lagoa Santa rarissima, arbor silvestris, m. Dec. cum fruct. immaturis solum inventa; determinatio igitur haud plane certa; cum specim. herbarii Martii comparatis tamen congruere videtur: W.

9. *St. Martii* Seub. l. c. 194.

In campestribus saxosis montis Serra da Piedade valde frequens; arbuscula trunco tortuoso ad 12 ped. alta, v. frutex;

m. Nov. a cl. Lund et m. Jan. Febr. a cl. Reinhardt et me ipso florens lecta.

Var. *gracilius* Warm. — A cl. Glaziou in vicinia Rio de Janeiro lecta (2678, 3051). A forma principali differt ramis gracilibus, foliis minoribus, vulgo 5—6 cm. lg., c. 2 cm. latis, tomento densissimo læviore magis adpresso; cæterum habet laminas ovato-lanceolatas, basi acutiusculas, sensim et longiuscule acuminatas, supra nitidulas, petiolos longiusculos in plerisque 12—13 mm. lg., costas costulasque reticulatas subtus haud tam fortiter ac in forma princ. prominentes. Tomentum tam in foliis (in novellis supra quoque) quam in inflorescentiis calycibusque intense rufo-ferrugineum; folia demum subtus canescentia. — Vide etiam supra sub *S. Pohlii*.

Fam. *Ebenaceæ*.

De Candolle Prodr. VIII, 209; Miquel in Mart. et Eichl. Flora Brasil. vol. VII, pag. 4. W. P. Hiern, A monograph of Ebenaceæ, Transact. of the Cambridge Philosoph. Society, vol. XII, part. I, 1872.

Maba J. R. et G. Forster.

Hiern. l. c. p. 106.

Sectio *Macreightia*.

Gen. *Macreightia* A. DC., Miquel l. c. 8.

1. *M. inconstans* (Jacq.) Griseb., Hiern. l. c. 127; *Macreightia obovata* Mart., Miq. l. c.

Var. α , *obovata* Hiern l. c.

Species hæc, ab insulis Indiæ occidentalis usque ad Rio de Janeiro inventa, etiam ad Lagoa Santa crescit; hinc illinc in silvis a me visa; arbor sat alta, c. 50—60-pedalis et forte altior; floret m. Octobri—Dec. fronde novella eodem fere tempore post dejectum frondis vestustioris completum evoluta; cum

fruct. maturis m. Aprili lecta. Flores virescentes. Bacca subglobosa, 2 cm. diam. nitidula fusco-atra, pilosula.

«Fruta de Jacu do mato (macho)» Bras.; interdum etiam «Cinzeira» appellata.

Annot. Species hæ Brasilienses *Mabæ* a cl. Hiern l. c. enumerantur: *M. inconstans* (Jacq.) Griseb., *M. sericea* (in Fl. Bras. *Diospyros sericea* Alph. DC. denominata), *M.* (Diospyros Fl. Bras.) *myrmecocarpa* (Mart.), *M.* (Macreightia Fl. Bras.) *myristicoides* (Spruce), *M. Hilairei* Hiern, n. sp. in Spiritu Santo a cl. St. Hilaire lecta.

Diospyros Dalech. (sect. Rospidios).

(Hiern l. c. no. 130—144).

1. *D. hispida* A. DC., Miq. in Flora Bras. VII, p. 4; Hiern l. c. 249.

Cum descriptione Hiernii congruunt specimina mea; folia tamen fere omnia oblongo-ovalia, var. lanceolato-oblonga, v. elliptica, apice acuta, non acuminata v. cuspidata appellanda, haud raro obtusa, rotundata v. repanda quoque, basi obtusa v. rotundata, rigida, subtus mollissime hipido-tomentosa, adulta supra parce et adpressiuscule pilosa, pleraque 8—9 cm. lg., 4—5 cm. lt.; petioli vulgo 6—8 mm. lg.; lobi calycis potius ovati v. ovato-lanceolati appellandi. Corolla viridis.

Ad Lagoa Santa in silvis frequens, inprimis in marginibus; arbor v. arbuscula cortice griseo, glabro v. subrimuloso; gemmæ magnæ perulatæ; folia novella m. Aug. Sept. vetustioribus jam v. simul dejectis erumpunt; innovationes ex toto tomento densissimo ferrugineo-fulvo hispido tectæ; folia postea supra obscure viridia. Semel m. Januario innovationes novæ ex axillis foliorum semestrium natæ a me visæ sunt; floret Sept.—Nov., m. Jan.—Julio cum fruct. maturis lecta. Bacca depresso-globosa 3—3½ cm. diam., 8-ocularis oculis nonnullis sæpius abortivis; demum fere glabra; testa fusco-atra.

«Fruta de jacú (femea)» incolis; «macho» (id est: mas) *Maba inconstans* appellatur, quia fructus minores dat; baccæ ab ave «Jacú» denominata (*Penelope superciliaris* Ill.) appetuntur.

Var. *camporum* Warm., foliis alternis maximis, obovato-ellipticis v. rarius ellipticis, basi in petiolum attenuatis cuneatis, apice obtusis v. acutis rarius obtuse-subacuminatis, coriaceis rigidissimis, vetustis supra lucidis fere vernicosis, juxta costas densius cæterum parcissime ferrugineo-pilosis, subtus ferrugineo-hirsutis, costis et rete costularum subtus fortiter prominentibus, breviter petiolatis, floribus masculis ad basin innovationum subsolitariis v. rarius binis brevissime pedicellatis, laciniis calycis 4—5 crassissimis oblongis v. anguste ovatis subacuminatis, fere ad basin liberis hirsutis, corolla subcampanulata, infra medium in lacinias 4—5 oblongas subacutatas medio dorso pilosas fisso, staminibus c. 20—22 basi inter se et cum corollæ basi connatis, glabris, pistillo sterili dense piloso, floribus femineis ad basin innovationum in axillis solitariis, laciniis calycis inæqualibus ovatis acutis, corollæ subcampanulatæ laciniis oblongis subacutis, ovario dense hirsuto stylis quatuor apice bilobis; bacca subglobosa, ferrugineo-hispida, haud bene mihi nota.

Arbuscula 10—12-pedalis, sed etiam frutex vix bipedalis et tamen fertilis; cortex albescens, valde suberosus, rimulosus. Ramuli adulti crassiusculi, c. 6—8 mm. crassi, sordide testacei v. obscure fusciscentes, ferrugineo-hispidi, demum glabrescentes; novelli densissime fulvo-ferrugineo-hispidi. Lamina sæpe complicata; 10—20 cm. lg., 5—12 cm. lt., vulgo c. 15 cm. lg. et 9 cm. lt.; supra in adultis demum sæpe costulis reticulatis impressis; subtus ut in *D. hispida* ferrugineo-pilosis; junior quidem supra læte viridis; costæ secundariæ utrinque c. 10—12 subtus cum costulis fortiter prominentes; petioli variant longitudine 8—15 mm., crassi, lati, apice lamina subdecurrente marginati. Flores masculi in axillis cataphyllorum; pedicellus c. 2—3 mm. lg.; corolla pallide viridis; antheræ lineares, longitudinaliter dehiscentes. Flores feminei: ovarium 8-loculare; laciniæ calycis ferrugineo-pilosæ, 1 cm. lg., c. 7 mm. lt.; corolla c. 1½ cm. lg.; staminodia adsunt. Fructus semel a me visus, male evolutus; a fructu *D. hispida* vix diversus.

A *D. hispida* DC. differt foliis multo majoribus, vulgo obovatis, basi semper attenuatis, multo rigidioribus magisque lucidis; etiam flores magnitudine majore paullum differunt. Illa arbor silvestris trunco elato, hæc autem frutex v. arbuscula campestris, nec unquam formas intermedias inveni, nisi fruticem sterilem silvestrem et valde juvenilem, e trunco vetusto certe orientem, cujus folia quoad formam medium fere tenebant. Monente cl. Hiern varietas *D. hispida* habenda tamen est planta hæc; inter plantas illas est, quæ formis parallelis tam campos quam silvas inhabitant, de quibus ulterius tractandum mihi est, quum collectiones meæ omnes Lagoenses determinatæ sint.

In campis ad Lagoa Santa hinc illinc, sed sparsim visa; item ad Piedade dos geraës et alibi: W.; habitum arborum et fruticum campestrium peculiarem præbet, et tam hoc quam foliorum forma a *D. hispida* differt; m. Aug. delapsus frondis vetustæ incipit; m. Aug.—Nov. novella una cum floribus evolvitur.

«Baccupari bravo» appellata, quod nomen tamen vix vulgariter notum.

Species Brasilienses hujus generis sec. cl. Hiern:

1, *D. velutina* Hiern; 2, *D. Sprucei* Hiern (Columbia); 3, *D. tranda* Hiern (Gujana); 4, *D. Paralea* Stend.; 5, *D. Ebenaster* Retz; 6, *D. spinosa* Hiern; 7, *D. ovalis* Hiern; 8, *D. hispida* A. DC.; 9, *D. gaultheriaefolia* Mart.; 10, *D. subrotata* Hiern; 11, *D. polyandra* Spruce; 12, *D. coccolobæfolia* Mart.; 13, *D. Weddelii* Hiern; 14, *D. glomerata* Spruce; 15, *D. capreaefolia* Mart.; 16, *D. Poeppigiana* A. DC.; 17, *D. emarginata* Hiern; 18, *D. discolor* Willd. (huc sec. cl. Hiern, p. 262: Glazieu, no. 1560, 1561). Haud bene notæ: *D. apeibacarpus* Raddi, *D. xylopioides* Mart. (Guiana).

Fam. *Rosaceæ* Juss.

J. D. Hooker in Mart. et Eichl. Flora Bras. vol. XIV, pars II.

Trib. I. Chrysobalanææ.

Licania Aubl., Hook. l. c. 8.

1. *L. (Eulicania) littoralis* Warm., n. sp., glaberrima præter inflorescentiam cum floribus pube cana v. fulvescente-cana tectam, petiolo brevissimo, stipulis petiolo brevioribus subulatis rigidis

subpersistentibus, lamina coriacea rigida late ovali v. ovato-ovali v. obovata, interdum ovali-orbiculari, rarius oblonga v. elongato-ovata, apice obtusissima v. rotundata sæpius repando-emarginata rarissime subacuta, basi rotundata v. leviter cordata, vix nitida, costis costulisque utrinque maxime tamen subtus prominulis v. supra subevanidis, paniculis axillaribus et terminalibus folia superantibus densifloris, floribus sessilibus in cymas trifloras secus ramos paniculæ sessiles dispositis, calycibus campanulatis intus tomentosus non araneosis.

Verisimiliter frutex v. arbuscula. Ramuli grisei v. fuscescente-grisei, albido-lenticellati, c. 4 mm. crassi. Petioli 2—3 mm. lg., crassi. Stipulæ c. 1 mm. lg. Lamina vulgo c. 5 (3—6) cm. lg., et 3—3½ (1½—5) cm. lt. — Costæ secundariæ utrinque c. 7—8—10; infimæ sub angulo fere recto, summæ sub angulis acutioribus a media patentés. Inflorescentia vulgo 7—8(—10) cm. lg., nunc brevior minus ramosa, nunc major magisque ramosa et pyramidalis, et partim folia frondosa parva gerens. Ramuli cum rachide rigidi, stricti, crassiusculi, c. 1½ mm. crassi, angulati, pube minima densa tecti; ramuli sæpe 4—6 cm. lg. Bracteæ et bracteolæ minimæ, fere v. vix 1 mm. lg., ovatæ, acutæ. Flores sub anthesi 3 mm. lg. Calyx campanulatus tomentosus v. densissime puberulus, sordide v. fulvescente-cinereus, lobis 5 ovatis acutiusculis, c. 1 mm. longis et fere totidem latis. Petala nulla. Stamina 5 sparsa, vix unilateralia; filamenta brevía, antheris fere æquilongis. Ovarium globosum hirsutum, stylus inclusus, puberulus. Fructus ignotus.

In silvulis et virgultis littoralibus («restinga») ad montem Tijuca prope Rio de Janeiro, m. Sept. Octobri florens: Glaziou (6168).

2. *L. (Eulicania) Glazioviana* Warm., n. sp., tota præter flores tantum tomento adpressissimo fulvo tectos glaberrima, lamina membranacea v. tenuissime coriacea, lanceolata v. oblongo-lanceolata v. ovato-lanceolata v. elongato-elliptica, apice leviter

v. subabrupte in apiculum latum obtusissimum v. rarius leviter emarginatum producta, basi in petiolum breviusculum stipulis lato-linearibus foliaceis apice obtusis fere æquilongum v. paullo longiorem attenuata, nitidula, costis secundariis costulisque tenuibus utrinque fere æqualiter prominulis, floribus parvis solitariis sessilibus in spicas axillares foliis breviores simplices solitarias et terminales paullo ramosas dispositis, bracteas bracteolasque pluries superantibus, calycibus cylindrico-campanulatis intus breviter hirsutis v. tomentosis non araneosis et fauce non annulatis.

Ramuli graciles, c. 2 mm. crassi, fuscescentes, albo-lenticellati. Petioli c. 2—3 mm. lg.; stipulæ petiolis æquilongæ, $\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$ mm. latæ, foliaceæ. Lamina 5—6 (4—7) cm. lg., 2 ($1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{2}$) cm. lt., in siccis fuscescente v. canescente-viridis. Costæ secundariæ utrinque c. 10—12, fere omnes sub eodem angulo a media patentés, tenues. Inflorescentiæ axillares spicæ simplices 1—3 cm. lg.; terminalis ramosa spica composita longior; rachis et ramuli fortiter angulati, glaberrimi. Bracteæ et bracteolæ triangulari-ovatae apice sæpe acuminatæ, brevissimæ, c. 1 mm. lg., glabræ. Flores sub anthesi 3—4 mm. lg.; lacinie calycis ovatae longe et sensim acuminatæ vix 2 mm. lg., calyx intus æqualiter dense pilosulus. Petala nulla. Stamina 5 et plura, subunilateralia, filamentis subulatis brevibus. Ovarium globosum hirsutum; stylus præter apicem glabrum laxè tomentosus. Fructus ignotus.

Species hæc, ut præcedens a botanico præclaro Dr. Glaziov in vicinia urbis Rio de Janeiro (no. 2561) lecta, *L. spicata* Hook. et maxime *L. Kunthianæ* Hook. affinis; illa tamen differt ramulis petiolis paniculisque puberulis, foliis acuminatis 4-pollicaribus, subtus pube appressissima tectis, spicis folio æquilongis etc.; hæc indumento ramulorum foliorumque, stipulis parvis subulatis, floribus subconfertis subglobosis, costa nervisque laminæ obscuris depressis. — In memoriam perscrutatoris floræ Fluminensis cl. Dr. A. Glaziov «*L. Glaziovianam*» appellavimus.

Moquilea Aubl., Hook. l. c. 19.

1. *M. tomentosa* Benth., Hook. l. c. 21. — Rio de Janeiro: Glaziou (no. 1514; verisimiliter culta).

2. *M. utilis* Hook. fil. l. c. 24. — Specimina mea cum specie hac hucusque in regione fluvii Amazonum tantum inventa plane congruere videntur; a specim. in herb. Martii asservatis differunt lana foliorum juniorum haud alba sed fuscescente et petiolis sæpe paullo longioribus, nempe 5—7 mm. longis. Lamina variat obovato-oblonga vel ovalis vel lanceolata v. oblonga, et apice obtuso v. acuto; vulgo 6 cm. lg., 3—4 cm. lt., variat tamen usque ad 12 cm. lg. et 4½—5 cm. lt.; in foliis adultis glabra v. subtomentoso-lanata. Drupa ovoidea c. 2½ cm. lg., haud tantum crassa, carne sicciuscula extus rugosa glabra c. 2—3 mm. crassa, putamine c. 1 mm. crasso. — Crescit ad Franca, prov. S. Paulo, «in campis», arbor 12—15-pedalis, m. Julio florens: Lund. — Ad Rio de Janeiro: Glaziou (1385). — Ad Lagoa Santa hinc illinc in silvis visa, rara, arbor interdum grandis; flor. m. Aug.—Nov.; c. fructu maturo m. Febr. lecta; «Canella rapadura» v. «Rapadura» incolis: W.

Hirtella Linn., Hook. l. c. 27.

1. *H. hebeclada* Moric., Hook. l. c. 28, var. γ . — Ad Rio de Janeiro: Glaziou (2559, 2127).

2. *H. Americana* Aubl., Hook. l. c. 33. — Ad Lorena, m. Octobri florens et ad S. Carlos, prov. S. Paulo, Jan. florens; frutex elegantissimus: Lund. —

Var. *hexandra*: ad Lagoa Santa in virgultis sepibusque et silvulis inprimis juxta margines frequens; arbuscula v. frutex; alabastra atrofusca; petala alba v. apicem versus pallide violacea; filamenta alba apice violacea; antheræ atropurpureæ; drupa atrofusca; floret per menses Julii—Martii, inprimis tamen m. Sept., Octobri; «Lingua de tiu» interdum false appellatur: W.

3. *H. glandulosa* Spreng., Hook. l. c. 35, var. α et β . — In Serra do Cipó, m. Oct. florens: Mathieu Libon in herb. Lund. — Ad Lagoa Santa in silvis frequens; arbor ad 40-pedalis v. frutex, cortice griseo verrucoso rimuloso (W.). Varietates duæ adsunt; in una ramuli valde fulvo-tomentosi, folia subbulato-reticulata, flores brevius pedicellati et bracteæ glandulis numerosis pedicellatis instructæ; in altera ramuli minus dense tomentosi magisque sordide fulvi, folia plana haud subbullata, pedicelli graciliores, bracteæ minus glandulosæ. Verisimiliter e loco natali pendent, illa enim in silva a me inventa est, arbor; hæc in marginibus silvarum magis apricis frutex. — Floret m. Aug.—Decbr.; petala alba; filamenta apice violacea v. rosea; drupa nigra nitida parcissime longe pilosa.

4. *H. triandra* Sw., Hook. l. c. 37. — Frutex 1—2-orygalis, m. Julio florens, petalis albis, in Caminho do brocco ad Rio de Janeiro a cl. Lund lecta. — Ibidem: Glaziou (6199).

Couepia Aubl., Hook. l. c. 40.

1. *C. grandiflora* Bth., Hook. l. c. 46. — Folia variant lanceolata utrinque acuta et late ovalia basi subcordata apice obtusa v. rotundata et repanda; ad 16 cm. lg. et 10¹/₂ cm. lt.; costæ in specim. meis supra haud impressæ. Inflorescentia e cymis trifloris racemosis formata; bracteæ bracteolæque ante anthesin caducæ e basi latiore lanceolatæ, acuminatæ, dorso sericeo-pilosæ, c. 5—8 mm. lg. Drupa ovoidea, vix magnitudine *Pruni domesticæ*, lutea, edulis, aromatica, carne c. 3—4 mm. crassa, putamine tenuissimo coriaceo fusco; cotyledones margine connati. — In campis inter Alegres et Curvellos arbor 6—8-pedalis et frutex, m. Oct. florens: Lund. — Ad Lagoa Santa ubique in campis sat frequens, etiamque in campo mixto obvia, arbuscula 12—35 ped. alta, trunco tortuoso, cortice griseo areolato, areolis irregulariter quadrangularibus; etiam ut frutex 1-paucipedalis et tamen fertilis inventa. Floret m. Sept.—Nov.,

fructifera in Nov.—Martio visa. — «Angelim branco» (verisimiliter ob tomentum foliorum album), «Angelim dos murcegos» (quia fructus a vespertilionibus appetuntur), «Angelim bravo» (quia Angelim verum alia planta, silicet *Geoffroyæ* species est) a Brasiliensibus ad Lagoa Santa appellatur: W.

2. *C. ovatifolia* Benth., Hook. l. c. 48. — Specim. authentica non vidi; *C. grandifloræ* proxima, differt tamen tomento foliorum haud laxo, floribus minoribus, staminibus paucioribus etc. Folia in specim. meis basi rotundata v. cordata, apice in acumen brevissimum latum obtusum v. acutiusculum producta; interdum ad 17 cm. ($6\frac{1}{2}$ poll.) longa, 6 cm. ($2\frac{1}{2}$ poll.) lata. — In «restinga» ad Tijuca et alibi in vicinia Rio de Janeiro a clar. Glaziou lecta (751 (sterilis), 2126, 6167). — Specimen sub no. 896 communicatum floribus nondum evolutis folia habet c. 8 cm. lg. et 4 cm. lt. quæ magnitudine igitur magis cum descriptione cl. Hookeri congruunt; sed lamina var. basi et inprimis apice acuta.

Parinarium Juss., Hook. l. c. 49.

1. *P. obtusifolium* Hook. l. c. 52. — In campis inter Catalão et Paracatú, frutex 2—3-pedalis, m. Aug. Sept. flor., et in campis inter Franca et Rio grande m. Jul. fructiferum: Lund. Drupa pyriformis, c. 3 cm. lg., diam. 2— $2\frac{1}{2}$ cm.

2. *P. Glaziovianum* Warm., n. sp., ramulis novellis foliisque subtus et in petiolo lana tomentosa adpressa hinc illinc subfloccosa primum densa fulva v. cinnamomea dein canescente demumque evanida tectis, lamina tenuiter coriacea oblongo-lanceolata v. suboblunga v. elongato-ovata v. rarius subelliptica, basi acutiuscula, apice levius v. abrupte in apiculum latum breve obtusissimum v. interdum subemarginatum producta, supra (costa media excepta) glaberrima nitida v. fere lucida, costis secundariis numerosis subtus fortiter et reliquis reticulatis levius prominentibus, petiolo medioeri medio v. paullo supra medium biglan-

duloso, inflorescentiis terminalibus et ex axillis foliorum frondos. summorum corymboso-cymosis, quam folia brevioribus, dense fulvo- v. cinnamomeo-tomentosis subsericeis, floribus confertis breviter pedicellatis, bracteis tubo calycis subæquilongis ovatis acutis caducis, calycis lobis ovatis acuminatis, staminibus paucis.

P. Brasilianum differt tomento velutino haud sec. descriptionem lanato, laxiusculo, dein foliis multo majoribus (4—6 poll. long.) petiolo breviorē ($\frac{1}{6}$ poll. lg.), panicula solitaria terminali; *P. obtusifolium* diff. indumento etc.; *P. brachystachium* foliis acuminatis subtus lana molli indutis, junioribus superne pulvereis, stipulis magnis etc.

Ramuli graciles, c. 2 mm. crassi, mox glabri, albo-lenticellati; lamina vulgo 6—7 (3--8) cm. lg. et $2\frac{1}{2}$ —3 ($1\frac{1}{2}$ —4) cm. lt.; petiolus 6—7 mm. lg.; stipulæ haud visæ, certe parvæ, caducæ. Costæ (mediana excepta) et costulæ supra prominulæ, subtus omnes prominentes; secundariæ utrinque c. 20; reliquæ reticulatæ utrinque quoque prominulæ. Inflorescentiæ 3—4 cm. lg. et fere totidem latæ. Pedunculus c. 1 cm. lg. Pedicelli 1—2 mm. lg. Calyx in toto 6 mm. lg., tubo obliquo obconico, intus inprimis fauce pilis deflexis densis instructo. Bracteæ bracteolæque caducæ, ovatæ, acutæ c. 3 mm. lg. Petala 5, ovata, subacuta, c. 2 mm. lg. Stam. unilateralia, 7 fertilia, filamentis brevibus inæquilongis; sterilia plura. Ovarium dense longeque pilosum; stylus præter basin glaber. Drupa deest.

Ad Rio de Janeiro: Glaziou (752, 2128, 2560).

Ann. No. 738 collectionis Glaziovianæ verisimiliter spec. nov. *Parinari*; fructifera tantum adest.

Trib. II. Prunæ J. D. Hooker l. c.

Prunus Linn.

1. *P. sphaerocarpa* Sw., Hook. l. c. 56. — In vicinia Rio de Janeiro: Glaziou (1065, 1125, 1441, 2563). — Ibidem in monte Corcovado, Junio florens; in Serra d'Estrella

pluribus in locis, m. Mart. flor.: Lund. — Ad Lagoa Santa arbor silvestris frequens, vulgo c. 30—40 ped. alta, elegans, cortice glabro, griseo, fronde pulchra obscure viridi. Drupa diam. c. 1 cm. subglobosa, nigra, non pruinosa, amarissima. Florens m. Febr. Mart., Junio—Aug. a me lecta, cum fruct. maturis m. Maio, Julio et Novembri: W. — In Serra da Piedade, frutex subalpestris paucipedalis: W. — «In campis ad Hytu, prov. S. Paulo frequens», Febr. fructifera: Lund.

Persica Tourn.

P. vulgaris DC., Prodr. II, 531. — Ad Lagoa Santa in horto plantata. Folia ut in regionibus nostris magis temperatis annua.

Trib. V. Rubeæ, Hook. l. c. 59.

Rubus Lin.

1. *R. urticæfolius* Poir., Hook. l. c. 61. — Ad Rio de Janeiro, ex. gr. in Morro da Babylonia, in montibus Tijuca, Corcovado, in monte «dois irmãos», et alibi, m. Aug. et Octobri fructifera, m. Julio, Aug. florens: Glaziou (830, 5000 B), W., Lund. Ad Petropolis, m. Julio florens: W. In virgultis ad Serra da Mantiqueira (in via inter Barbacena et Juiz de fora), m. Maio c. fruct. immat. lecta: W. — Ad Lagoa Santa in virgultis sepibusque frequentissima, m. Jun.—Sept. florens; petala alba v. pallide rosea; drupæ nigræ, m. Jul. etc. maturæ; innovationes quinqueangulares: W.

«Amoreira», «Amora» et «Amora branca» incol.

2. *R. erythroclados* Mart., Hook. l. c. 62. — Ad Caxueira do campo, prov. Min., m. Febr. fructifera: Lund.

3. *R. Brasiliensis* Mart., Hook. l. c. 62. — In vicinia Rio de Janeiro, ad S. Antonio, et alibi, m. Mart. florens et fructifera: Glaziou (5854); ibidem, m. Maio fructif.: W. — Ad Lagoa Santa quam *R. urticæfolius* paullo rarior: floret m. Aug.—Dec.;

corolla alba; frutex vulgo 5—6-pedalis: W. — Ad Mugy, prov. S. Paulo, c. fructibus nondum maturis m. Nov., et ad Caxoeira do campo, prov. Minas, m. Febr. florens lecta: Lund.

«Amoreira», «Amora» incol.

Var. β , *Organensis* (Gardner) Hook., *Rubus Organensis* Gardner, Hook. l. c. — In Serra de Itatiaia c. 2000 metr. supra mare, m. Junio florens et fructifera: Glaziou (1798). Fructus in specim. meis nigrescens videtur.

4. *R. rosafolius* Smith, Hook. l. c. 61. — Ad Rio de Janeiro: Glaziou (829). Specimina sterilia tantum a me visa.

Trib. X. Pomaceæ.

Eryobotrya Lindl.

1. *E. japonica* Lindl., DC. Prodr. II, 634. — In hortis ad Lagoa Santa plantata, «Ameixa de Canadá» denominata; flor. m. Dec. Jan.; m. Jul. Aug. frons novella evolvitur, vetustiore nondum dejecta: W.

Cydonia Tourn.

2. *C. vulgaris* Pers., DC. Prodr. II, 638. — Ad Lagoa Santa culta; «Marmeleiro» incolis; e fructibus «Marmelada» fabricatur; c. fructibus m. Dec. Jan. visa: W.
